

est apud Giribaldum de Restit. cap. 5. dub. 4. num. 30. ac Bartholomæum a S. Fausto de Restit. in Gen. disp. 4. quæst. 202. Neque illi suffragatur ea causalis, quia ex pecunia percipit aliquod emolumentum; nam ultraquamquod æquum non est, ut quis ex alieno ditescat, si talis ratio sufficeret ad justificandam detentionem pecuniæ, vel alterius rei alienæ, dici etiam posset, licere furi ob idem motivum penes se retinere ad tempus notabile magnam portionem pecuniæ alteri furatæ, eidemque sufficere, quod restituat per partes: quod quam alienum sit a veritate, nemo non videt; ideoque neque licere Sempronio potenti simul solvere totum ac integrum debitum. Dixi tamen ab initio per se loquendo; nam per accidens, & signanter si interveniat Creditoris consensus, vel expressus, vel tacitus; id posse licite fieri a Sempronio, minime inficior: quemadmodum enim potest Creditor ipsi absolute debitum remittere, & condonare; ita certum est, quod illi potest etiam permittere, ut paulatim solvat per partes: sicuti etiam id Sempronio liceret, casu quo, simul solvendo integrum debitum, subesset damno valde notabili; & viceversa illud solvendo per partes, Creditor nullum, vel modicum damnum sentiret, ut passim monent D. D. At eo tunc censeretur moraliter impotens simul solvere, cujus oppositum supponitur in casu de Sempronio: quem propterea dixi nec debere, nec posse per se loquendo absolvi, sed dimittendum in absolute, saltem ni doleat ex corde, se hætenus integre non perfolvisse, & statuatur, ac firmiter proponatur, quamprimum per integrum solvere.

M E N S E S E P T E M B R I S .

CAS. I. **O**B non impletum præceptum Paschale Gneus fuit publice interdictus. Q. an ab hac censura possit absolvi occasione Jubilæi?

Resp. regulariter non posse ab ea absolvi, saltem si intra tempus præscriptum, quod solet esse duarum hebdomadarum, non compareat coram Ordinario, seque promptum exhibeat ad ejus, & Ecclesiæ mandatis obtemperandum. Ratio est, quia non nisi sub hac conditione solet concedi facultas absolvendi hujusmodi delinquentes, ut colligi potest ex Indultis Jubilæorum præcedentium; imo SS. D. N. Clemens Papa XIII. feliciter regnans in indulto Jubilæi ab ipso concessi anno præterito positive expressit, se aliter non concedere hujusmodi facultatem. Ergo nisi Gneus id præstet, ab hac censura nequit absolvi occasione Jubilæi: facultas namque sub tali conditione concessa (ut recte ait Viva de Jubil. qu. 10. art. 2. num. 7.), conditione non purificata, minime conceditur, & sic Absolutio non subsistit; ideoque etiam Gneus aliter nequit absolvi a tali censura.

CAS. II. Ad excipiendam Confessionem constituti in proximo mortis periculo contemporaneæ adventum Parochus, & alius simplex Sacerdos. Q. an sit necesse, quod hic cedat locum Parocho, ut valida, ac licita sit Absolutio?

Resp. probabilis esse quod sic. Ratio est, quia simplici Sacerdoti videtur solum concessa facultas absolvendi in casu extremæ necessitatis, quando nempe deest copia Sacerdotis tum ordinarii, cum delegati; & aliunde imminet præteritenti periculum, quod decedat inabsolutus. Fundamen-
tum